

non immediate, ne successio hæreditaria videatur, sed mediate, ita ut inter patrem, & filium mediet alius: ut cavetur in cap. ex transmissa.

PUNCTUM VIII.

De naturalitate, & consanguinitate ad aliqua beneficia requisitis.

51. Inq. 1. An beneficia ecclesiastica conferenda sint tantum naturalibus regni, aut loci? Resp. Quod licet ex jure communi omnia beneficia conferri possint quibuslibet exteris vere idoneis; tamen ex peculiari jure aliquorum regnorum tantum naturalibus conferri debent. Pro regno Hispaniæ constat. Ex lib. 1. nova recopil. tit. 3. leg. 19. Ubi decernitur, ne Prælatu- ræ, dignitates, aut beneficia conferantur: nisi naturalibus. Et leg. 21. disponitur: quod beneficia in Diocesi Burgen- si, Palentina, & Calagurritana in solis patrimonialibus provideantur. Idem præcipitur in constitutionibus synodalibus earumdem Diocesium. In ipsis declaratur, sicut in legibus regni, quis dicendus sit naturalis regni, & Patrimonialis civitatis, aut oppidi, ipsarumque declarationi standum est pro beneficiis valide, & rite conferendis: sunt namque leges valde justæ, utilitati- que Ecclesiarum, ac locorum multum con- gruenter. Si autem in aliqua civitate sint peculiaris statuta, aut consuetudines circa beneficia his præ aliis conferenda, obser- vari debent. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 4.

52. Inq. 2. An sint beneficia, quæ solis consanguineis fundatoris conferri debeant? R. affirmat. Quia plures sunt capellanæ, & etiam beneficia, sive simpli- cia, sive curata, ad quæ primo consan- guinei vocantur. Sicut enim dantur ben- eficia, quæ solis naturalibus conferri possunt, ita dantur alia, quæ solis consanguineis fundatoris impertiri valent. Neque in istis adest obligatio conferendi absolute digniori, sed sufficit, quod digno conferatur: quia fundator est dominus, qui ut talis potest sine alicujus injuria digno, relictis dignioribus, beneficium conferre. Debet tamen patronus consanguineum dignum fundatori propinquorem præsentare: quia fundator amore familie præsumitur fun-

dasse cappellaniam, seu beneficium; cer- tum autem est propinquiores magis dili- gi, ergo præferendi sunt minus propin- quis.

53. Eadem ratione concurrentibus duobus consanguineis in gradu æquali, cæteris paribus, agnatus præferendus est cog- nato: quia naturaliter magis diligitur, ideoque ad bona profana, esto non exprimat in fundatione majoratus, semper præferatur. Nihilominus posse in tali casu cognatum præsentatum a Patrono institui non inficiamur: quia patronus designatus est a fundatore velut Juxda ad eligendum illum, qui utilior, aut dignior sibi visus fuerit. Si ex designatis familiaris, aut consanguineis, nullus ad beneficium curatum dignus reperiretur, debet Episcopus alios dignos seligere ad præficiendum Ecclesiæ: quia indigni nullatenus sunt admittendi. In gradu æquali consanguinitatis semper dignior præferendus est.

54. Sub nomine consanguineorum spurii non intelliguntur: quia hi non reputantur de familia, aut domo fundatoris, licet vere consanguinei sint; nisi a Pontifice, vel Principe legitime, quo in casu habiles sunt ad beneficia. Naturales, cum vere sint consanguinei, & gaudeant nobilitate parentum, admittendi sunt ad beneficia pro consanguineis fundata. Gradus proximitatis ad beneficia computandi sunt non juxta dispositionem juris canonici, sed juris civilis: quia computatio graduum juris canonici solum pro matrimonio deservit, non pro successione hæreditaria, aut in materia successione, in qua juxta omnes computatio juris civilis servari debet. In computatione graduum lineæ rectæ conveniunt jus civile, & canonicum, in lineâ vero transversali datur differentia, quæ in tractatu de matrimonio explicatur.

PUNCTUM IX.

Quot modis beneficia acquirantur?

55. Inq. 1. Quot modis beneficia acquiri possint? Resp. Quod sex modis acquiri valent. Primo, patroni præsentatione, institutione subsequente. Secundo, electione, & confirmatione. Tertio, collatione libera. Quarto, postulatione, ad quam sequitur admissio. Quinto, resignatione unius, & accep-

Cap. Unicum, De omnibus, quæ ad beneficia ecclesiastica spectant 231

ceptione alterius. Sexto, permutatione a Superiori approbata. Beneficia, quæ ab eodem conferuntur, & confirmantur, vel quæ per solam electionem jus habentis, absque alia confirmatione acquiruntur, dicuntur absolute collativa: quia ratione electiones factæ a Pontifice, & Episcopis potius dici debent collationes, seu provisiones, quam electiones. Omnia alia, quæ superioris confirmatione indigent, dicuntur absolute Ellectiva.

56. Inq. 2. Quid, & quotplex sit jus patronatus? Et quot modis acquiratur? R. Quod jus patronatus est potestas nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum, ad beneficium ecclesiasticum vacans. Est duplex, aliud ecclesiasticum, aliud laicale: ecclesiasticum est, quod bonis Ecclesiæ est comparatum. Laicale, quod bonis propriis laici comparatur. Utrumque tribus modis acquiritur. Primo, fundatione, quando quis tribuit fundum ad Ecclesiam erigendam. Secundo, constructione, dum quis propriis expensis Ecclesiam ædificat. Tertio, dotatione, cum quis Ecclesiam dotat, sufficientes redditus ei, ejusque ministris relinquens. Et hæc est præcipua conditio; absque dotatione enim jus patronatus non acquiritur: quia absque redditibus beneficia consistere nequeunt. Parum autem interest quod dotatio fiat ante, vel post constructionem Ecclesiæ. Ad jus patronatus ecclesiasticum acquirendum auctoritas Episcopi requiritur. Titulus juris patronatus constare debet ex authenticis documentis, seu ex consuetudine immemorabili præsentandi, ut decernit Trident. Sess. 25. de reformatione.

57. Triplici modo jus patronatus transferri valet, nempe: jure hæreditario, donatione, & cum re vendita. Ipsum autem jus est invendibile, non solum jure ecclesiastico, sed probabilius jure etiam divino, ut diximus in tractatu de simonia.

58. Patronus quadruplex jus in Ecclesia acquirat. Primo, habet potestatem ad præsentandum clericum ad beneficium vacans: prius enim vacare beneficium debet, quam præsentatio fiat: alias hæc irrita erit, ne detur occasio mortem possessori requirendi. Secundo, habet honorem, & primum locum in Ecclesia, choro, & processionibus, atque in aliis functionibus debet cæteris præferri, dando ei

osculum pacis, candelas, ramos, & thurificando illum ante alios. Tertio, habet onus protegendi, & conservandi Ecclesiam, ejusque bona, ita ut si Ecclesia corruat, & comburatur, ad ejus reparationem teneatur, & compelli potest, nisi Patronatum amittere velit. Quarto habet emolumentum, quod si ad summam egestatem devenerit, & Ecclesiæ bona, deductis impensis necessariis, supersint, debet Ecclesia illi suppeditare strictius, quam aliis indigentibus, non solum ex caritate, sed etiam ex justitia. Omnia comprehendit glossa duplici carmine sequenti.

Patrono debetur bonos, onus, emolumentum. Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

PUNCTUM X.

De præsentatione, & institutione.

59. Inq. 1. Quos præsentare patronus teneatur? R. Quod omnis patronus sive ecclesiasticus, sive laicus clericum dignior- em ad beneficium præsentare debet: quia patronus, etiam laicus habet potestatem præsentandi ad Ecclesia, seu Pontifice: ergo sicut Pontifex tenetur digniorem eligere, ita patronus omnis digniorem præsentare. Nemo valet præsentare seipsum. Verum si plures sint patroni, unus præsentare alterum potest: sicut electores unum ex electoribus eligere possunt. Nemo ambigit esse peccatum grave indignum præsentare, cum sit contra jus naturale, & bonum commune. Præsentans indignum privatur, pro illa vice, jure præsentandi. Pater filium idoneum præsentare valet: quia esto fictione juris pater reputetur persona filii, non tamen re ipsa est. Quando sunt plures patroni omnes debent vocari, & citare ad præsentandum; alias præsentatio est nulla. Si enim valeret, libera fraudibus, & injustitiis panderetur via. Non tamen requiritur citatio personalis, sed sufficit fieri per publica edicta, ita ut in notitiam patronorum beneficii vacatio facile devenire possit. Tunc enim qui non concurrat ad præsentandum intra tempus a jure præfixum, sibi imputet omissionem.

60. Inq. 2. Intra quod tempus a patronis præsentatio fieri debeat? R. Quo patroni

troni ecclesiastici intra sex menses debent presentare. Ex cap. *Unico* §. *Verum*, de jure patronatus in 6. Idem est de patronis mixtis. Si vero patronus sit laicus, vel omnes laici, intra quatuor menses. Ex cap. *cum propter*. De jur. patronat. Si intra dictum tempus presentatio non fiat, devolvitur jus presentandi ad Ordinarium, seu Episcopum, ex dicto cap. *Quoniam*. Semestre autem, vel quadrimestre non computatur, nisi a die notitiæ vacationis certo habitæ a patrono. Quando lis insurgit inter Episcopum, & patronos super jure presentandi, non currit tempus; nec similiter quando lis est inter presentandos. Cæterum quando ipsi patroni litigant, & tempus elabi desinunt, devolvitur jus ad Episcopum, qui prorogare illud per aliud semestre potest.

61. Inq. 3. Quid sit institutio? R. Est concessio Ecclesiæ, seu beneficii auctoritate Episcopi, vel ordinarii facta, non cuiusvis clericus, sed unice ei, qui a patrono est nominatus, seu presentatus. Differt institutio a confirmatione, quia confirmatio est, qua Superior electo, vel postulato a collegio, Ecclesiam, vel beneficium donat. Collatio est datio libera beneficii, seu Ecclesiæ a legitima potestate clericus idoneo. Unde confirmatio est propria electionis; institutio vero presentationis, collatio autem nec electionem, nec presentationem supponit. Presentatio est exhibitio clerici, que a patrono cuicumque fit Superiori ecclesiastico. Postulatio est supplex petitio vocalium superiori facta, ut super personam aliquo impedimento dispensabili affectam, dispenses, ut eligi possit ad beneficium, vel dignitatem. Si autem interea major pars vocalium alium idoneum eligat, electio prævalet, utpote juri conformior.

62. Inq. 4. Quibus competat instituire? R. Quod præcipue competit Episcopis instituire in beneficiis presentatos a patronis. Deinde capitulo, sede vacante. Præterea competit tam Vicario Episcopi, quam designato a capitulo, sede vacante. Ex privilegio, seu præscriptione Prælati inferioribus, & denique Prælati regularibus in Ecclesiis pleno jure sibi subjectis. Clericus presentatus tenetur Ordinario personaliter exhibere presentationis instrumentum, ab eoque examinari. Episcopus autem debet in beneficio instituire eum,

quem patronus ex clericis examinatis digniorem nominaverit. Quando patronatus est ecclesiasticus, solus dignior est instituendus; quando autem est laicus, sufficit, quod presentatus sit dignus: nam Concilium pro hoc casu solum requirit, quod presentatus reperitur idoneus. *session. 24. cap. 18. de reformat.* Videatur Benedict. XIV. qui ad rem plura scitu digna egregie docet de *Synod. Diæces. lib. 4. cap. 8. n. 7. & seqq.*

63. Quando presentati sunt æquales in votis, inæquales tamen in meritis, dignior est instituendus. Si autem in omnibus sint æquales, potest Episcopus eligere, quem maluerit. Institutio ab Episcopo facta, tempore juris non transacta, sine consensu patroni, nulla est. Solus Pontifex absque consensu patroni beneficia conferre valet: numquam tamen hoc accidit sine justa causa: quia patronatum jura tollere, piæque fidelium voluntates, in eorum institutione violare, æquum non est, dicit *Trid. sess. 25. cap. 9.*

PUNCTUM XI.

De electione.

64. Inq. 1. Quid sit electio? R. Est aliquis hominis ad Ecclesiam, suo pastore viduatam, canonice facta vacatio superioris auctoritate confirmanda. Vel est destinatio personæ ab beneficio vacans per suffragia eligentium facta. Si electio non requirat confirmationem, dicitur collatio proprius, quam electio; quia electio propria postulat confirmationem. Electus acquirat jus ad rem: hoc est ad beneficium; jus autem in re confertur illi per confirmationem, ante quam nulla ei competit administratio; si vero illam exerceat, amittit jus ad rem illius beneficii.

65. Triplici modo fieri potest electio. Per scrutinium, quando electores in secreto suffragium ferunt. Et de essentia hujus electionis est secretum, quo deficiente, electio est nulla. Non quidem dum uni, alterive tuum suffragium revelares; sed quando illud publice dares, aut pluribus communicares: nisi hoc ipsum efficeret ad frustrandam electionem: quia tunc casus prævaleret, ut fraudibus janua occludatur. Secundo potest fieri electio per *compromissionem*,

tionem, quando electores se compromittunt in aliquibus, aut etiam in uno: ut in S. Bernardo se compromisit Ecclesia ad designandum verum Pontificem. Tertio per *conspirationem*, quando electores communi voce absque suffragiis conveniunt in alicujus electionem: ut contigit cum D. Ambrosio a toto populo in Episcopum postulato. Electio ad Episcopatum, aut Abbatiam fieri debet intra tres menses; alias devolvitur jus ad superiores: Ex cap. *Ne pro defectu, de elect.* Ad alia beneficia, & dignitates intra sex menses sub eadem pœna. Ex cap. *Nulla de concess. præbend.* Electus debet intra mensem consensum præbere sub pœna privationis juris per electionem acquisiti. Item intra eundem mensem confirmationem petere. Ex cap. *Quam sit, de elect. in 6. & ibidem cap. Cupientes.*

66. Inq. 2. Qui eligere ad beneficia valeant? R. Quod juxta presentem disciplinam collegium Cardinalium solum potest eligere summum Pontificem; ita ut esto Ecclesia esset congregata in Concilio generali; tamen a Cardinalibus deberet fieri electio Pontificis. Non indiget confirmatione, nec est in terris potestas illum confirmandi, quia illo nullus est superior. Deinde SS. Pontifex habet solum potestatem eligendi Cardinales. Præterea idem Pontifex eligere valet Episcopos, exceptis aliquibus regnis, in quibus ex privilegio, consuetudine Episcopi nominantur a Rege, seu Principe, ut in Hispania, & Gallia. Vel eliguntur a collegio canonicorum, ut fertur de Germania, & a Pontifice confirmantur.

67. Similiter SS. Pontifex in tota Ecclesia, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, Legati a latere in sua Provincia, & Episcopi in sua Diœcesi eligere possunt ad beneficia ecclesiastica, eaque conferre: nam, ut diximus, electio facta a potente eam confirmare, potius est collatio, seu provisio, quam electio. Sua tamen universalis potestate conferendi beneficia non utitur Papa in tota Ecclesia, neque Episcopi in sua Diœcesi, nisi quoad aliqua, & juxta peculiaria statuta, & consuetudines cujusque loci, aut Ecclesiæ, & in mensibus præscriptis, de quibus infra. Eodem modo nec Concilium generale pro tota Ecclesia, nec capitula Cathedralium,

Tom. II.

Sede vacante, nec collegium Cardinalium potest eligere ad beneficia. Denique Nuntii Hispaniæ aliqua beneficia parvi valoris vacantia extra Cathedralia, & Collegiata conferre valent. Vicarius generalis Episcopi licet possit instituere presentatos ad beneficia; non tamen ea conferre, nisi ex commissione speciali Episcopi. Nota, quod reservationum usus omnino extinctus est in Hispania anno 1753. vi initii concordati Benedictum XIV. inter, & Ferdinandum VI. Igitur apostolica sedes universo beneficiorum Hispaniæ patronatu sponte cessit, & in Catholicum Regem transtulit, quinquaginta duobus dumtaxat reservatis, quæ videri possunt in eodem concordato, & apud Selvag. lib. 2. tit. 24. num. 23.

68. Inq. 3. Quot, & qui sint menses, in quibus Episcopi providere valent beneficia alias non reservata? R. Quod olim solim in quatuor mensibus, nempe Martio, Junio, Septembri, & Decembri poterant providere. Verum ubi alternativa Urb. VIII. est recepta, possunt sex mensibus, qui sunt Februar. April. Jun. Aug. Octob. & Decemb. Junius, & December dicuntur *Menses fixi*: quia semper fuerunt, & sunt Episcopi. Debent tamen Episcopi residere personaliter in sua Diœcesi, dum vacat beneficium, ut possit illud conferre; alias esto legitime, vel ex quacumque causa absint, amittunt facultatem ab alternativa concessam, adhuc pro mensibus fixis: quia residentia est conditio apposita in Bulla pro omnibus. Sufficit autem, quod vere in sua Diœcesi existant, dum beneficium vacat, licet majori parte mensis abuerint, quia vere impletur conditio residentia tempore vacationis. Si existat intra suam Diœcesim, etiam in loco exempto, vere residere dicitur: non enim abest a Diœcesi.

69. Præfati menses incipiunt a puncto metaphysico mediæ noctis præcedentis primi diei, & finiuntur in puncto mediæ noctis ultimi diei mensis. Mediæ autem noctis metaphysice computatur, quando incipit sonitus horæ duodecimæ illius. Si plura sint horologia, standum est horologio Parochiæ, aut illi, quo civitas, aut oppidum communiter regitur, seclusa fraude, aut notabili deordinatione. Si plura horologia duodecimam horam sonuerint,

Gg

rint,

rint, & pauciora postea, standum est pluribus: quia habent rationem testium, & plurium testium probatio contra pauciores prævalet. Quando non est horologium, vel non est auditum, standum est horologio stellarum poli, vel iudicio in hoc peritorum, vel denique gallicinio, seu galli cantui: qui licet certo non probet, magnam tamen præsumptionem generat, & aliquando Rota sententiam in favorem Ordinarii super provisione beneficii Parochialis tulit ex cantu galli, ut in *Aversana 12. Martii 1562.*

70. Quando est dubium insuperabile, ad quem pertineat, & non probatur reservatio, ad Ordinarium atinet: quia in dubio non est privandus facultate, qua gaudet iure communi. Imo stante prædicto dubio, licet Pontifex provideret beneficium, prius quam Ordinarius, adhuc provisus ab Ordinario præferendus esset: quia ad ipsum atinet ius providendi, & Pontifex numquam intendit, Episcoporum iura vulnerare, nec providere cum præiudicio alterius. Si plura cupis huc expectantia, consule cursum Salmanticensem tom. 6. tract. 28.

PUNCTUM XII.

De obligatione eligendi digniorem.

71. Inq. 1. Quis dicatur dignior ad beneficia? R. Quod utilior Ecclesie, omnibus perpensis, est dignior ad beneficia: quia beneficia instituta sunt ad Ecclesie ministerium, & utilitatem, ergo utilior Ecclesie est dignior ad beneficia. Nam dignitas personæ non præcise consideratur secundum se; sed per comparisonem ad bonum Ecclesie, seu commune, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. Unde nomine *dignioris* intelligitur, non præcise doctior, aut sanctior, sed aptior ad munia beneficii rite obeunda. Potest enim contingere, quod quis sit doctior, aut sanctior, & tamen non dignior: quia caret prudentia, & aliis qualitatibus ad utilitatem Ecclesie, & fidelium requisitis. Nihilominus quia regere est proprium intellectus, ideo regulariter doctiores sunt digniores ad beneficia, & dignitates.

72. Inq. 2. Quæ sint qualitates prælativæ ad beneficia obtinenda? R. Esse plu-

res. 1. Præferendus est adultior, seu ætate provecior. 2. Ille, de cuius bonis fundata est Ecclesia. 3. Sacerdos non Sacerdoti. 4. Naturalis Diocesis, seu Ecclesie respectu extranei. 5. Graduatus in aliqua scientia, præsertim in theologia, ut postea dicemus. 6. Prudens, & bene moratus, etiam respectu doctioris, cuius mores ignorantur. 7. Beneficio carens præfertur habenti. 8. Nobilis respectu pebei, si uterque æquale virtutis specimen ostendit; alias plebejus virtuti additus nobili præferendus est: quia non queritur in Ecclesia successor Imperatoris, sed Piscatoris. Imo licet quereretur Imperator, non deberet rejici pauper; notum enim est plures ex infimis ad culmen Imperii fuisse evehctos. Unde pauper præferendus est diviti: tum propter rationem proxime dictam: tum quia Ecclesia est mater pauperum, eosque *honorum suorum dominos appellat. Quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesie, contempto paupere instructiore, & sanctiore?* ait D. Thom. ex D. Aug. loc. cit.

73. Inq. 3. An grave peccatum committat eligens ad beneficia dignum, omisso digniori? R. affirm. Constat ex Trident. *Sess. 24. cap. 1. de reform.* Ubi monet omnes electores, ut imprimis meminerint nihil ad gloriam Dei, populorumque salutem magis expedire, quam si bonos pastores, & Ecclesie gubernandæ idoneos promoveri studeant: Eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesie magis utiles ipsi iudicaverint, præfici diligenter curaverint, ergo peccatum grave committit eligens dignum, omisso digniori.

74. Probat etiam ex Prop. 47. prospecta ab Inoc. XI. scilicet: *Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesie magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium, vel primo videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. In quibus tria docet, definitque Pontifex. Primum,*

num, quod cum Concilium præcipit digniores eligi ad beneficia curata, positive excludit dignos, dum adsumt digniores. Secundum, quod verbum *digniores* sumitur proprie excludendo nedum indignos, sed etiam dignos. Tertium, quod eligendi sunt digniores, non solum quando beneficia conferuntur per concursum, sed quomodocumque conferantur. Ergo est veritas definita eligentes ad beneficia dignum, omisso digniori, mortaliter peccare. Et licet Concilium expresse loquatur de eligentibus ad beneficia curata, idem est de eligentibus ad beneficia simplicia: quia eligens ad beneficia dignum, omisso digniori, non attendit ad meritum, sed ad personam, ergo vitium acceptionis, & consequenter injustitiam in materia gravi committit, ergo graviter peccat.

75. Est autem differentia inter utramque electionem: quod electio digni, omisso digniori, ad beneficia curata non solum est illicita, sed etiam invalida: quia est contra formam a Concilio præscriptam: & ita Rotam vis declarasse asserunt plures. Electio vero præfata ad beneficia simplicia, esto graviter illicita, tamen valida est: ut patet ex cap. *Cum nobis, de elect.* ne omnis electio calumniam patiat, aut litibus Ecclesia perturbetur. Hæc omnia intelliguntur etiam de beneficiis patrimonialibus: nam licet ad ista sufficiat eligere dignos respectu dignioris alterius loci; ex ipsis tamen naturalibus dignior semper eligendus est. Si excessus dignioris omisi sit certo levis, non reputatur gravis culpa electio digni: quia fit levis injuria digniori, leveque damnum infertur Ecclesie. Si autem excessus in beneficio sit levis, in meritis tamen notabilis, tunc esset gravis culpa omisso digniori: quia grave Ecclesie damnum infertur.

76. Ex dictis plane sequitur, quod ad summum Pontificatum dignior omnibus sit eligendus: aliqui putant, quod solum ex collegio Cardinalium faciendæ magis electio; sed esto regulariter ita fieri oporteat, quia in illo sacro collegio communiter reperiuntur dignissimi Præsules, qui experientia negotiorum, notitiaque causarum Ecclesie, ut collaterales Pontificis, cæteris præminent; cæterum si extra collegium constaret ipsis adesse digniorem, Ecclesieque utiliore, deberent illum, &

non alium in conscientia eligere; quin contrarium aliqua potestas humana disponere possit: est enim de iure naturali & divino. Imo quicumque legitime electus in summum Pontificem ex toto orbe terrarum debet, ut Vicarius Christi, & successor Petri ab omnibus venerari.

77. Inq. 4. An beneficiarii Diocesis Calaguritanae possint licite eligere ex approbatis ad Curam, quem maluerint, ut habetur in Bulla Clementis VIII. vel teneantur in foro interno eligere, seu presentare digniorem? R. In foro interno semper teneri presentare digniorem: ex approbatis ad simplex in ipsa Bulla exprimitur debere presentari digniorem; ex approbatis ad Curam probatur, quia electio dignioris ad beneficia est de iure naturali, ergo semper obligat in foro conscientie. Nec refert, quod Pontifex dicatur *posse ex approbatis ad Curam presentare, quem maluerint*: quia solum intendit, quod in foro externo teneat electio ad fovendam pacem, sedandas lites, & tollendas appellationes: cum maximo præiudicio Ecclesiarum, & conscientiarum. Nec propterea tribuit occasionem eas maculandi, sicut nec eam tribuit Concilium decernens debere institui ab Episcopo præsentatum dignum, seu idoneum a patrone laico; licet iste in conscientia teneatur presentare digniorem. Erit igitur occasio non data, sed accepta ex malitia contrarium facientis.

PUNCTUM XIII.

Alia dubia circa electionem dignioris.

78. Inq. 1. An aliquando liceat suffragium ferre pro digno, relicto digniori? R. affirm. quia, dum dandò suffragium digno potest vitari electio indigni, debet eligi dignus omisso digniori: quia majus bonum Ecclesie est, quod eligatur dignus, quam indignus. Similiter si certo prævideas tuum suffragium nihil ad electionem aliqujus Prælati sine concursu proficere, poteris illud dare digno, certo ab aliis eligendo, relicto digniori: quia valde conducit ad bonum Ecclesie, Prælati, & subditi, quod electio fiat cum pace, & quod electus non habeat querelam adversus negantem sibi suffragium; & alias parum

prodest digniori unius, aut alterius suffragium habere. Unde si Cardinales certo agnoscant sua pauciora suffragia nihil conducere ad electionem dignioris, possunt illud dare digno: tum propter dicta; tum quia dilatio electionis Pontificis gravia damna affert Ecclesie. Quando electio fit per concursum, semper pro digniori ferendum est suffragium. Pariter resignans beneficium in favorem alterius, debet digniorem querere: quia alias est causa illicitæ collationis, quæ fit digno, omissio digniori. Ad beneficium simplicia possunt eligi digni, quando digniores reservantur ad curata obtinenda.

79. Inq. 2. An translatio Episcoporum sit vetita jure naturali, & divino, & an dignior ad digniorem Episcopatum debeat transferri? R. affirm. quoad utramque partem. Prob. ratione: quia Episcopus contrahit matrimonium spirituale cum sua Ecclesia, vovetque perpetuo ei inservire, & est in statu perfectionis: quæ omnia jure naturali, & divino requirunt perpetuam assistentiam, & perseverantiam in sua, & cum sua Ecclesia. Alias aperiretur janua ambitioni aliam pinguorem desiderandi, cum gravissimo præjudicio propriæ, quam non ut pastor, sed ut mercenarius: diligeret, & administraret: quod totum est contra jus naturale, & divinum.

80. Unde solum ex gravissima causa Ecclesie, aut regni potest fieri ejusmodi translatio: ut quando Episcopus peculiari doctrina, zelo, & virtute præditus est necessarius ad utilitatem alterius Ecclesie. Vel quando ex malitia ovium, aut alia circumstantia desperatur profectus spiritualis in propria Diocesi, adfuturus in alia. Ob has, aut similes causas, non ob utilitatem Episcopi in ejus translatione dispensare valet Pontifex; imo deberet, si ejus præsentia necessaria esset ad confutandos hæreticos, vel ad avertendum populum a pravis moribus. Nec refert, quod matrimonium Episcopi cum Ecclesia consumatur in ejus consecratione; quia non in omnibus æquiparantur matrimonium carnale, & spirituale: nam juxta omnes potest Episcopus de licentia Papæ renunciare, aut ad religionem transire: ita ergo ex dispensatione potest ex dictis causis ad alium Episcopatum promoveri.

81. Inq. 3. Quis dicatur dignior ad

Episcopatum, Theologus, an Jurista? R. Quod licet uterque, si cæteris requisitis polleat, sit dignus ad Episcopatum; verum cæteris paribus, dignior est Theologus: quia officium Episcopi est perscrutari, exponere, & defendere sacras Scripturas, prædicare, docere, & instruere fideles in his, quæ ad salutem animæ, & profectum spirituales, & vitæ æternæ consecutionem spectant; sed hæc sunt munia propria Theologi, ergo Theologus est dignior ad Episcopatum. Profecto ad Parochum pertinet explicare populo, non Justiniani Novellas, sed Christi Doctrinam, & Evangelium; non quod forum externum, & judiciale concernit, sed quod ad forum internum, & conscientiam conducit; sed Episcopus est Parochus totius Diocesis, ergo aptior, & dignior est Theologus, cui competit forum spirituale, quam jurista, qui agit de foro judiciali. Unde ad omnia beneficia curata Theologia est qualitas prælativa, respectu jurisprudentiæ.

82. Inq. 4. An sit licitum appetere Episcopatum, aut aliud beneficium curatum? R. Quod in Episcopatu, & idem est de beneficio curato, tria reperiuntur: nempe operatio, & sollicitudo pastoralis; gradus celsitudo, & honor, sufficientiaque temporalium. Igitur esto appetere Episcopatum sit bonum objective, seu ex parte objecti; tamen subjective, seu ex parte subjecti vix, aut ne vix est bonum. Audiamus D. Thomam. *Respondeo dicendum, quod hanc questionem resolvit Augustinus cap. 19. de civit. Dei. Ubi dicit, quod locus superior, sine quo populus regi non potest, & si administraretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. Cujus ratio est, quia qui appetit prælationem, aut est superbus, aut injustus. Prosequitur Angelicus: Nihil suo appetitu debet ad Prælationem pervenire: sed solum Dei judicio secundum illud Apostoli ad Hebræos 5. Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Quodlib. 2. q. 6. art. 11. & 22. q. 185. art. 1. Vide Lambertinum Instit. 12. 10. & 11.*

83. Si appetentes Prælationes serio D. Chrisostomi verba meditentur, potius, & utilius eas fugerent, quam averent: dicit enim ad Hebræos Homil. 34. *Miror si potest salvari aliquis Rectorem! Post tantam enim comminationem, quam negligentiam*

tiam videmus illatam! Video aliquos etiam concurrere, & præcipitare se ipsos in tantam molem, ac difficultatem regiminis. Ita sancti locuti sunt, & ita se gesserunt: etiam nunc ita se gerunt, qui salvari cupiunt. Sed quia pauci sunt, qui salvantur, pauci sunt, qui Prælaturas fugiunt. Væ avidis dignitatum!

84. Inq. 5. An ad Prælaturas regulares eligendi sint digniores? R. affirm. Quia ideo ad beneficia curata digniores sunt eligendi, quia hoc postulat bonum commune Ecclesie, & ovium; sed hoc etiam postulat bonum monasterii, & subditorum, ergo. Deinde Prælati regulares respectu suorum subditorum sunt quasi Episcopi; sed ad Episcopatum juxta Tridentinum digniores debent eligi, ergo etiam ad Prælaturas regulares. Intra claustra religionum, unde pestis ambitionis procul exulare debet, præstantiores in doctrina, & virtute, postposito omni respectu, & affectu peculiari, sunt præficiendi. Maxime vero illi, qui officia, & dignitates fugiunt, horrent, & detrectant; isti enim sunt aptiores, & vere digniores. In electionibus potissimum tenet, (utinam non teneret!) quod unusquisque iudicat, secundum quod est affectus: sed audiant isti, ut suum affectum in electionibus deponant, quid de eis dicat cum S. Hieronymo D. Thom. *Quidam non querunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesie prodesse: sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delimiti Sc. 2. q. 185. art. 3.*

* *Monitum ad electores regulares.*

Ante omnem electionem canonicam antecedere debent tractatus, & collatio eligendorum inter electores, alias quomodo prudenter eligerent nisi primum de meritis, et personis eligendorum tractarent? Ita Glosa cum juribus. Ex quibus eruitur necessario requiri tractatum, in quo personarum eligendarum capacitas, merita, virtutes, immo vitia, inclinationes, & alia discutiantur, quæ discussio utique fieri nequit in capitulo a Vocalibus collegialiter acceptis, nimis enim arduum, & periculosum foret publice revelare, & discutere merita, vel demerita eligendorum. Debet ergo fieri a Vocalibus privatim, qui

ne errent in electionibus, & dignos præferant dignioribus, aut indignos dignis, debent inter se colloquia habere, & consilia locuti sunt, & ita se gesserunt: etiam nunc ita se gerunt, qui salvari cupiunt. Sed quia pauci sunt, qui salvantur, pauci sunt, qui Prælaturas fugiunt. Væ avidis dignitatum!

ne errent in electionibus, & dignos præferant dignioribus, aut indignos dignis, debent inter se colloquia habere, & consilia locuti sunt, & ita se gesserunt: etiam nunc ita se gerunt, qui salvari cupiunt. Sed quia pauci sunt, qui salvantur, pauci sunt, qui Prælaturas fugiunt. Væ avidis dignitatum!

Et certe nisi electores simul conferant, omnino casualis erit electio melioris, & dignioris, vix enim intra congregatos ex diversis conventibus valde distantibus aliquis est, qui sciat eligendorum qualitates, propensiones, amicitias, virtutes, vitia, defectus, vires corporis, & animi, genium, & similia, quæ adjuvare, vel deordinare possunt Prælationem, vel officium. Ut igitur seligantur utiliores respectivo, necesse est, ut electores sumant inter se consilium, & de eligendorum qualitatibus colloquia habeant, quia jura, & decreta apostolica non prohibent actus virtutis, & tractatus bonos a jure requisitos, sed malos, iniquos, fraudulentos ortos ex malitia, passione, ambitione, amicitia, vel odio, uti se explicant Lezana, Donatus, Rotarius, Paserinus, alique permulti. Quapropter nec virtute legum communium, aut municipalium, nec ulla consuetudine, aut motivo avertendi malum subornationis, privari possunt electores jure naturali, quo gaudent adhibendi media necessaria ad electiones meliores procurandas, & hæc alia non sunt, quam supradictæ collationes, investigationes, & consilia, ex quibus appareat. An hic, vel ille sit dignior ad regendam hanc, vel illam communitatem, & an Petrus, vel Paulus sit melior ad primam, secundam, aut tertiam Prælaturam Provincie, vel Religionis, alias cæco, & imprudenti modo procederent electores; quod evitare debent in negotio adeo gravi.

PUNCTUM XIV.

De restitutione ob injustam electionem faciendam.

85. Inq. 1. An eligens dignum, omissio digniori, ad restitutionem teneatur? R. affirm. Quia lædens justitiam distributivam, simulque commutativam, tenetur ad restitutionem; sed conferens beneficium digno, relicto digniori, utramque lædit justitiam, dis-

distributivam respectu Ecclesie, commutativam respectu dignioris injuste omisi, ergo tenetur ad restitutionem, tum Ecclesie, tum digniori. Nec valet dicere digniorem non habere jus ad rem: quia non potest agere in iudicio contra electores, nec contra dignum electum. Quia licet non possit agere in foro externo contra eos ad vitandas lites; tamen in foro poli, seu conscientie jus habet, vel habebat ad beneficium: ideoque cum ab hoc jure injuste privans, tenetur illud ei modo possibili restituere: electio enim, quae impugnari nequeat in foro judiciali, potest esse injusta in foro conscientie, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3.

86. Dices: ergo etiam ipse dignus injuste electus, aut provisus tenetur abdicare a se beneficium, & parti laesae restituere. R. neg. conseq. Quia esto electio digni, omisso digniori, si est ad *curam*, sit nulla; & si est ad *simplex*, injusta; nihilominus potest in conscientia conservare beneficium, suosque facere fructus; donec ex sententia iudicis talis provisio declaretur invalida, ut sancivit Pius V. in quadam Bulla edita anno 1566.

87. Inq. 2. An dignus, se opponens ad beneficium in concursu dignioris, peccet, & ad restitutionem, si illud obtineat, teneatur? R. neg. Quia digno non competit sua, aut aliorum merita perpendere, sed suam digiuitatem examinatorum iudicio submittere recta intentione, & absque fraude; sed totum hoc est licitum; alias pauci ad examen concurrerent, quod in damnum Ecclesiarum vergeret: ergo, ut hoc vitetur, dicendum est dignum posse in conspectu etiam dignioris, & ut talis a se cogniti, licite ad beneficium se opponere. Si autem dignus per vim, aut fraudem impediret aliquo modo digniorem, peccaret, & ad restitutionem teneretur: quia tunc positive concurreret ad injustam electionem. Indignus vero, & peccat graviter se opponendo, & ad renunciandum beneficium tenetur, si ei conferatur.

88. Objic. Dignus se opponens in conspectu dignioris, ut talis a se cogniti, cooperatur injustae electioni, impeditque, quantum in se est, ut dignior eligatur, procurat, & petit ab electoribus; ut sibi, omisso digniori, beneficium conferatur:

sed haec omnia illicita, & restitutioni obnoxia sunt, ergo.

89. R. Quod dignus recta intentione, & absque ulla fraude se opponens in concursu, non petit sibi beneficium absolute; sed sub conditione, quod digniori non conferatur; vel dignior ipse reputetur: quia aliis multis de causis potest non consequi beneficium: quo in casu ipsi debetur. Unde nec electioni injustae cooperatur, nec ad ullam restitutionem adstringitur: cum alias jus habeat exponendi sua merita absque alterius praedicio a se minime intento.

90. Inq. 3. An qui precibus, & muneribus, aut suasionem, absque vi, & frude adducit collatorem beneficium jam determinatum ad conferendum digniori, ut minus digno illud conferat, teneatur ad restitutionem? R. affirm. Quia concurrat moraliter ad injustitiam irrogatam Ecclesiae, & digniori, ergo, ut diximus, utrique tenetur restituere: Ecclesiae, quia eam privat ministro notabiliter magis utili, & idoneo: digniori, quia eum beneficio privat. Circa restitutionem autem digniori faciendam notare oportet: quod si quis impediatur, ne detur beneficium, antequam sit firmatum, non tenetur restituere aequale, sed ad aliquam compensationem secundum arbitrium sapientis. Si vero jam sit firmatum, quod digniori detur, & injuste impediatur, tenetur ad aequale restituendum: quia tunc idem est, ac si beneficium habitum auferretur. Ita D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4.

91. Objic. Qui testatorem determinatum ad relinquendum legatum Petro adducit precibus, aut suasionem, absque vi, & fraude, ut illud relinquat Paulo, non peccat, nec ad restitutionem tenetur, ergo similiter adducens eodem modo beneficium collatorem determinatum ad illud conferendum digniori, ut illud conferat digno, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur. R. neg. conseq. Disparitas est satis perspicua; quia Petrus nullum jus acquisivit ad legatum, quod testator ei sponte, & libere volebat relinquere; at dignior acquisivit jus ab beneficium, quod non libere, sed ex iustitia ei debetur. Ideo in isto casu, & non in alio datur obligatio restituendi ei, qui injustitiam passus est.

PUNC-

PUNCTUM XV.

De examinatoribus synodalibus.

92. Inq. 1. Qui dicantur examinatores synodales, & ad quem finem ordinentur? R. examinatores synodales esse, & dici illos, qui ab Episcopo, vel ejus Vicario in synodo nominantur, non minus quam sex: qui synodo placeant, & ab ea approbentur. Designantur autem, vel magistri, seu Doctores in Theologia, aut jure canonico: vel alii clerici, sive seculares, sive regulares, singulis annis juxta praescriptum Tridentini: ut, adveniente vacatione beneficium parochialis, Episcopus saltem tres ex eis eligat, qui cum eo examen perficiant; praestito prius juramento per sancta Evangelia, quod, postposita omni humana affectione, munus suum fideliter exercebunt; quin ratione examinis quidquam recipiant ante, vel post; alioquin simoniae vitium, tam ipsi, quam alii dantes incurrant; a quo absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis ante obtentis, inhabilesque maneat ad alia in posterum obtinenda. Synodus autem annuatim debet ab Episcopo celebrari. Omnia constant ex Trident. sess. 24. cap. 18. de reformatione.

93. Inq. 2. Ad quod examen assistere praecise debeant examinatores synodales? R. Quod tantum ad examen beneficium Parochialis per concursum conferendi: sive provisio pertineat ad Episcopum, sive sit juris patronatus ecclesiastici. Si autem beneficium, etsi Parochiale, sit juris patronatus laici, non postulat concursum, nec examen synodale. Similiter ad ordines, ad confessiones, aut ad beneficia simplicia non requiritur examen synodale, aut concursus, nisi propter specialem rationem pro aliquibus Diocesis: ut in Burgensi, Calagurritana, & Palentina, in quibus beneficia, licet sint simplicia, & patrimonialia, conferuntur plura per concursum, pariter quando pro beneficio curato obtinendo, ex aliqua causa nullus concurrat ad examen, potest sine examine synodali conferri, sicut in aliis casibus, qui apud aucthores videri possunt.

94. Inq. 3. An examinatores synodales designari debeant nomine proprio, vel suf-

ficiat exprimere nomen officii, aut dignitatis: ut Magistralis, Doctoralis, Prioris talis conventus? R. Quod stando declarationibus canonicis, debent exprimi nomine proprio; At stando praxi fere communi saltem in Hispania, sufficit designari nomine officii. Primum docet Benedict. XIV. in Syn. lib. 4. cap. 7. num. 5. secundum constat ex Constitutionibus synodalibus Burgensi, Calagurritana, Oxomensi, & aliis, ubi solum nomine officii reperiuntur designati. Quod utique rationabili causa non caret, cum enim praesenti tempore synodus ex quibusdam causis vix in saeculo congregetur, si ad obitum, aut mutationem cujusque examinatoris ad Romam esset adeundum, non parva praedicia sequerentur. Quare credimus Episcopos habere facultatem expressam, vel tacitam nominandi in synodo, aut extra eam examinatores juxta temporum, & causarum exigentiam: sicut illam habent non congregandi singulis annis synodum; alias ferè omnes provisiones in invalida essent, quod minime est credendum.

95. Inq. 4. An examinatores pro labore examinis aliquid mercedis accipere valeant? R. Simili modo, ac in dubio antecedenti: quia stando declarationibus canonicis, nihil omnino, nec ante, nec post accipere occasione examinis possunt. Verum stando Conciliis Provincialibus, Toletano, & Compostellano, & praxi communi, saltem in Hispania, valent examinatores synodales pro labore concurrendi, & assistendi examini synodali, aliquid stipendium accipere. Ita non semel vidimus, & fecimus. Nec videtur a ratione alienum esse: tum quia dignus est operarius mercede sua: Nemo enim cogi aequum est sine stipendio laborare, maxime ex officio. Quippe si concedit Ecclesia canonicis non solum fructus annuos, sed quotidianas distributiones pro assistentia ad chorum; cur non concedat aliquod stipendium pro continua assistentia ad examina Synodalia?

96. Dices 1. Concilium id prohibere. R. Concilium prohibere, ne quid accipatur pro approbatione obtinenda, quod justissime intendit vitare, ne beneficium conferatur simoniae; sublato tamen ex omni parte hoc vitio, relegataque omni iniustitia, non est reprobanda dispositio Toletani,

letani, sicut eam non reprobatur absolute Bened. XIV. loc. cit. n. 11.

97. Dices 2. Examinatores ad ordines, & confessiones nihil mercedis accipere debent, ergo nec ad beneficia curata. R. Dari non parvum discrimen inter utraque examina. Nam pro examinandis ordinandis, & confessariis nullus ex officio, & obligatione est designatus; pro examinandis vero ad beneficia curata examinatores synodales sunt deputati, & adstricti ex officio: nullum autem datur officium in Ecclesia, nec extra illam absque aliquo stipendio, aut beneficio.

PUNCTUM XVI.

Alia dubia circa examen synodale.

98. Inq. 1. An examen synodale, in quo præter examinatores synodales assistunt alii non synodales, sit validum? R. neg. Ita Bened. XIV. Ubi supra cap. 8. n. 2. dicens quod si examen fiat absque tribus saltem examinatoribus synodalibus, aut cum aliis præter synodales, esset nullus roboris, utpote factum contra formam a Tridentino præscriptam; ita ut collatio beneficii devolvatur ad Sedem Apostolicam juxta constitutionem 51. Pii V. incipientis: *In conferendis*.

99. Inq. 2. An examinatores synodales debeant renuntiare Episcopo digniorem, vel sufficiat ei exponere, qui sunt digni? R. Hoc ultimum sufficere. Ita ex Trident. Bened. XIV. loc. cit. cap. 8. num. 6. qui etiam num. 3. docet ex eodem Tridentino debere examinatores non solum examinandum scientiam, sed & morum probitatem, prudentiam, & alia requisita ad Parochiæ regimen exprimere. Quod antea monuerat suis litteris Encyclicis anno 1742. Ubi præscribit formam pro examine synodali debite perficiendo.

100. Convenientius est examinatores synodales sua suffragia palam exhibere: quod facere debent, antequam a loco examinis discedant; atque eodem modo Episcopus, seu ejus Vicarius, vel alius examinis Præses designatus. Hic autem solam habet partem, seu suffragium, quando examinatores vota singularia, seu paria emisserunt: ut inquit idem Benedictus num. v.

101. Inq. 3. An examinatus synodalis

graviter peccet, si aliquem oppositorem de interrogandis in examine præmoneat? R. affirm. Quia similis præmonitio est in præjudicium aliorum. Episcopi pariter coram Papa examinandi nequeunt absque culpa præmoneri: maxime si jurant examinatores se nequidem in genere de interrogandis præmonituros. Sic dicunt auctores: sed a me quæsitus quidam examinatus Episcoporum, vir gravissimus, nihil adesse de tali juramento non præmonendi respondit. At fidelitatem exigit juramentum pro examinatore synodalibus præscriptum a Trident. sess. 24. de re-form.

102. Inq. 4. An qui ante examen fuit præmonitus, vel in ipso examine instruitur ab alio de puncto substantiali proposito, quo ignorato, reprobatus evaderet, teneatur ad restitutionem, si ob id beneficium in concursu consequatur? R. affirm. Supposito, quod alii punctum ab eo ignoratum recte attigerint: quia in examine ludendum est aequalibus aleis: & sicut, qui ad aleas ludens, si a tergo ab alio instructus, lucraretur, injustitiam committeret, & ad restitutionem teneretur; ita sua proportione, qui in concursu, aut examine ab altero præmonitus, & instructus consequitur beneficium, præter grave injustitiæ peccatum ad compensationem possibilem aliis faciendam tenetur. Non tamen obstringitur dimittere beneficium, ut patet ex dictis num. 86.

103. Inq. 5. An si oppositor in examine synodali, vel in publico examine Magistralis, aut Doctoralis ob perturbationem, vel memoriæ defectum aliquid erret, vel deficiat in lectione, aut sermone, licite valeat eligi, si alias notorie dignior creditur? R. affirm. Quia talis vere examinatur, ut disponunt jura canonica, alias supponitur evidenter peritus, ergo eligibilis est, sive ad Parochiam, sive ad præbendam. Nam esto examen sit institutum ad merita oppositorum cognoscenda; verum inde nunquam perfectum iudicium de meritis eorum efformari valet. Solet enim contingere, quod minus doctus majori applausu prædicet, aut legat: quia ex alienis lucet: ergo esto alter in aliquo deficiat, si est evidenter peritus, & ut talis in aliis litterariis actibus agnitus, & comprobatus, licite potest in examine approbari, &

con-

Cap. Unicum; De omnibus, quæ ad beneficia ecclesiastica spectant 241
consequenter eligi, sive ad Parochiam, sive ad præbendam; dummodo substantialiter examen, quoad alia perficiat.

PUNCTUM XVII.

De pluralitate beneficiorum.

104. Inq. 1. An habere plura beneficia sit licitum? R. 1. Quod pluralitas beneficiorum secundum se accepta est jure naturali prohibita. Probatur ex D. Thom. Quodlib. 9. art. 15. ubi inquit: *Habere plures præbendas plures in se inordinationes continet: Primo, quia sequitur diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiæ contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. Sed omnia hæc cum jure naturali pugnant, ergo etiam pluralitas beneficiorum secundum se accepta, sive beneficia sint curata, sive simplicia.*

105. R. 2. Habere duo beneficia curata, vel alia quæcumque residentiam postulanti, esse a fortiori manifeste contra jus naturale, & divinum. Nam ut supra diximus, omne beneficium curatum exigit personalem residentiam ex jure divino; sed nullus valet residere in duplici loco, ergo id ipsum lumen naturale dicitur de alio quocumque beneficio, esto non curato, residentiam personæ exigente: uti sunt canonicatus, & plures præbende sine cura animarum.

106. Inq. 2. An pluritas beneficiorum sit intrinsece mala? R. neg. Quia alias ex nulla causa posset coonestari; at simulatas beneficiorum honestari valet gravi, & urgenti causa, quæ solum potest esse utilitas, aut necessitas alicujus Ecclesiæ, vel incongrua beneficii. Unde si deficientibus ministris, unus adeo strenuus, idoneusque reperiretur, ut plus absens, quam alius præsens Ecclesiæ deserviret iudicio Pontificis, posset cum eo dispensare, seu declarare, in tali casu jus naturale non obligare. Similiter, quando beneficium curatum est incongruum, potest haberi aliud simplex ex dispensatione Episcopi, seu Legati a latere. Unde pluralitas beneficiorum

Tom. II.

de illis actionibus est, quæ tantum sub quibusdam circumstantiis sunt bonæ: uti est percussio, seu occisio hominis, quæ ex se mala est: tamen autoritate Judicis, seu ratione disciplinæ, aut publicæ vindictæ est bona. Omnia constant ex Trident. Sess. 24. c. 17. & ex D. Thom. Quodlib. 9. art. 15.

107. Profecto omnes terrere debet tragicum illud exemplum Philippi Cancellarii Parisiensis, qui possidens plura beneficia morti vicinus, ac a Guillelmo Episcopo monitus, ut, uno retento, reliqua dimitteret; respondit se malle experiri, an in altera vita transiret opinio asserens licitam esse pluralitatem beneficiorum, & ita animam efflavit; sed tertio ab obitu die eidem Guillelmo apprensus, dixit ob praxim illius opinionis, & alia duo crimina æternis se mancipatum esse tormentis, ardoribusque sempiternis cruciari. Hoc est, quod ex Sancto Bernardo dixit D. Thom. loc. cit. *Qui non unus, sed plures est in beneficiis; non unus, sed plures erit in suppliciis*. Nihilominus non paucos passim conspiciemus, plura beneficia habentes. Quid ergo de illis dicendum? Ipsi viderint. Nobis sufficit illos admonere rationibus, & exemplis, ne experiri velint, quod infelix ille Cancellarius misere expertus est.

108. Inq. 3. An saltem ex dispensatione Pontificis possit quis habere plura beneficia tuta conscientia? R. Quod gravi causa cogente, quæ raro adest legitima, poterit esse tutus in conscientia; secus aliter: sed debet, uno beneficio sufficienti retento, reliqua dimittere. Quia licet in foro fori sufficiat dispensatio Papæ; non vero in foro Poli, & coram Deo. Quantumcumque enim largam dispensationis gratiam videatur Pontifex aliquibus elargiri, nequit tamen dispensare in jure naturali, nec in eorum avaritia, cupiditate, aut ambitione. Neque vult dissipare, sed fideliter dispensare. Ubi autem legitima causa dispensandi non est, *Non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*: ut dixit S. Bernardus lib. 3. cap. 4. ad Eugenium Papam.

Hh

PUNC

PUNCTUM XVIII.

De vacatione beneficiorum.

109. Inq. 1. Quot sint modi, quibus beneficia vacant? R. Octo modis posse vacare beneficia. 1. Per obitum possessoris. 2. Per resignationem. 3. Per promotionem. 4. Per contractum matrimonii. 5. Per ingressum religionis. 6. Per assecutionem alterius incompatibilis. 7. Per promotionem ad Episcopatum, vel aliam Prælaturam jurisdictionem quasi episcopalem habentem. 8. Per gravium delictorum commissionem. Potest autem beneficium vacare de jure, & de facto: ut in morte possessoris; vel de jure, & non de facto: ut cum beneficiarius ob aliquod crimen privatur beneficio a jure; sed tamen illud possidet. Vel de facto, & non de jure, ut dum aliquis injuste privatur beneficio, quod legitime possidet. Vel quando beneficiarius diu abest, vacat de facto: quia nullus ei deservit. Sed tunc, si absit absque justa causa, & mox in absentia persistat, debet etiam jure, hoc est, sententia Judicis vacare beneficium residentiam postulans.

110. Inq. 2. Quid sit beneficii renuntiatio, aut resignatio? Resp. Quod est voluntaria beneficii dimissio coram Ordinario legitime facta. Potest esse duplex, nempe expressa, & tacita. Expressa est, quæ fit expressis verbis. Tacita est, quæ fit per actus contrarios possessioni beneficii, ut contractio matrimonii, professio religionis, & militiæ. Causæ, ob quas Episcopus admittere valet renuntiationem beneficii, sunt undecim; nimirum beneficiarii senectus, infirmitas, vitium corporis, impedimentum, crimen, censura, relegatio læsio mentis, aliud beneficium sufficiens, matrimonium, & periculum vitæ ob inimicitias.

111. Tres sunt conditiones in omni resignatione beneficii fideliter observandæ. Prima, quod, si beneficiarius sit ordinatus in sacris ad titulum beneficii, debet aliunde habere, unde decenter vivere queat. Secunda, ne beneficium resignatum conferant Episcopi suis, aut resignantium consanguineis, affinibus, seu familiaribus, etiam per fallacem circuitum, sub pœna suspensionis a collatione, institutione, & electione beneficiorum Papæ reservata. Tertia, ne successor in beneficio a resignante ver-

bo, aut nutu designetur, nec promissio aliqua inter ipsos, aut collatores, seu præsentatores intercedat. Ita decrevit Pius V. in constitut. 58. anno 1568. Circa renuntiationes factas in favorem tertii, aut confidentiales, vide, quæ dicimus tract. de simonia cap. 3. punct. 4. Videatur etiam constitutio Benedicti XIV. quæ incipit: *In sublimi*, edita anno 1741. Ubi resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis, & pacto eas casandi pœnitus improbantur, & annullantur. Novitii nequeunt renunciare beneficia, nisi intra duos menses ante professionem juxta decretum Tridentini sess. 25. cap. 16. de regularibus.

112. Resignatio expressa beneficii potest dupliciter fieri, nempe simpliciter absolute absque aliqua conditione, aut onere. Vel conditionate, nimirum sub conditione, quod alteri conferatur, & hæc dicitur in favorem. Vel ut ille, cui beneficium confertur, solvat aliquam pensionem, & dicitur cum onere. Omnis renuntiatio fieri debet ante legitimum superiorem. Superior autem legitimus pro renuntiatione pura, & absoluta est Episcopus respectu beneficiorum, quæ ipse conferre valet, & idem est de aliis Ordinariis. Pro omni vero renuntiatione conditionata solus Pontifex est legitimus superior, valens eam admittere.

113. Unde ad hoc, quod resignatio beneficii sit valida, & licita, duodecim conditiones requiruntur præter alias tres supra relatas. 1. Quod fiat coram legitimo Ordinario. 2. Quod beneficium resignandum sit revera resignantis: quia est cessio proprii juris. 3. quod sit libera, & spontanea. 4. Quod adsit consensus patroni, si beneficium sit patronatus. 5. Acceptatio superioris, & resignatarii: nam ante utriusque acceptance non vacat beneficium; imo nec ante resignatarii possessionem. 6. Quod beneficium ei conferatur, in cujus favorem licite resignatur. 7. Quod resignatio in favorem fiat in digniorem, & ob utilitatem Ecclesiæ. 8. Quod in mortis periculo non fiat sub conditione, etiam tacita, ad illud revertendi, si convalescat. 9. Quod si resignans sit infirmus, vivat, saltem per viginti dies completos, post acceptatam resignationem, alias beneficium censetur vacare per obitum; non per resignationem.

114. Decima, quod resignatio facta in Curia Romana publicari debeat in loco beneficii intra ses menses a die supplicationis; si autem resignatio fiat causa permutationis extra Curiam Romanam, publicari debet intra mensem; alias, si resignans moriatur, antequam resignatarius possessionem capiat, beneficium censebitur vacare per obitum, & ejus provisio non tenet. Undecima, quod omnis resignatio fiat ob justam causam, si enim fines intenduntur temporales, a culpa, vel a simonia, saltem mentali, non vacabit. Duodecima, quod resignatio cum conditione, aut onere solum fiat autoritate Pontificis, & quando est cum pensione, tantum ob indigentiam veram resignantis. Denique observari debet constitutio Bened. XIV. *Universalis Ecclesiæ*, ubi sub gravibus pœnis prohibetur, & irritantur plura pacta, & contractus circa bona, & fructus beneficiorum.

PUNCTUM XIX.

De permutatione, & cæteris modis, quibus beneficia vacant.

115. Inq. 1. Quid sit beneficii permutatio? R. Quod est reciproca beneficiorum resignatio facta adinvicem inter permutantes. Permutatio autem in communi nihil aliud est, quam certæ rei ad alteram facta mutua præstatio. Permutatio igitur beneficii valde affinis est resignationi, quia tantum addit, quod fiat sub conditione, seu onere, quod pro alio beneficio permutetur. Ideo omnes conditiones requisitæ ad validam, & licitam resignationem cum onere, exiguntur etiam cum sua proportionem ad validam, & licitam beneficii permutationem. Quando permutatio est simplex, seu in omnibus equalis, sufficit consensus Episcopi, aut Ordinarii potentis conferre beneficium. Quando vero est inæqualis in dignitate, aut jurisdictione, & compensatur aliquo temporali, committitur simonia contra jus divinum. Si autem inæqualis sit in proventibus, solus Papa pensionem imponere valet solvendam a beneficio pinguiori. Pingue cum tenui potest, seclusa omni fraudulentia, licite cum causa absolute permutari. Cavendum tamen est, ne anguis lateat sub herba: ut si avunculus cum nepote, consanguineus, vel alius morti

proximus, seu senex cum juvene, amico, aut consanguineo permutet beneficium pingue cum tenui: quia præsumitur non sincera, sed fraudulenta talis permutatio: in cap. Si te prebend. de renunciat. in 6.

116. Causa sufficiens, & necessaria ad permutationem licitam est uberior utilitas Ecclesiæ, aut copiosior animarum profectus; seu permutantium spiritualis utilitas, non solum commodum temporale. Unde si ob intemperiem loci, sive ob inimicitias, vel ob aliud grave damnum non speratur in loco beneficii profectus spiritualis proprius, vel ovium, quem aibi credit prudenter assequendum, sive ob meliorem valetudinem, sive ob majorem populi acceptance, poterit licite permutatio fieri: quia hæc, & similia ad Dei obsequium, Ecclesiæ utilitatem, & profectum spirituales reducuntur. Ita *D. Tb. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3.*

117. Inq. 2. An, si clericus matrimonium contrahat, ipso facto detur vacatio beneficii? R. Quod per matrimonium validum clerici ipso facto vacat ejus beneficium, per matrimonium vero nullum debet vacare per sententiam judicis. *Ex cap. 1. de cleric. conjugat.* Solus Papa dispensare valet, ut conjugatus beneficium habeat. Similiter vacat beneficium per professionem solemnem beneficiarii in religione approbata. Pariter vacat beneficium per assecutionem alterius incompatibilis, sive curati, sive simplicis, ita ut utrumque habere simul temerarie presumens, utroque privatus maneat. Ita *Trident. sess. 7. cap. 4. & sess. 24. cap. 17.*

118. Vacat etiam beneficium per promotionem beneficiarii ad Episcopatum, aut Abbatiam secularem, vel regularem quasi Episcopalem, & eorum pacificam possessionem; justissime quidem vacant omnia beneficia etiam simplicia, & pensiones per assecutionem Episcopatus, maxime in Hispania, ubi sufficientissimi sunt Episcopatum proventus. Qua ratione vix adest causa legitima dispensandi, ut Episcopi retineant beneficia antea obtenta. Utinam omnes illa pœnitus a se abdicarent! Non loquimur de Episcopis solum titularibus; isti enim absque dispensatione possunt retinere beneficium, aut pensionem: quia non percipiunt fructus aliquos Diocesis. Item privari debent beneficio, qui non re-

sident, quando exigit residentiam personalem, esto ad ejus titulum sint ordinati; Ecclesia enim non tenetur pigros, & rebelles alere.

119. Denique vacant beneficia per crimen a beneficiario commissum: ut hæresis externa, crimen læsæ majestatis humanæ, percussio Cardinalis, aut Episcopi, Rectoris suæ Ecclesiæ, aut litigantium in

TRACTATUS TRIGESIMUS TERTIUS

DE SIMONIA.

CUM simonia præcipue circa collationem, & receptionem ordinum, & beneficiorum prohibeatur: ideo post tractatus de ordine, & beneficiis, tractatum de simonia discutiendum ducimus juxta mentem D. Thomæ, qui de illa agit 2. 2. q. 100.

CAPUT I.

De essentia, & divisione simoniæ.

PUNCTUM I.

De natura simoniæ, ejusque gravitate.

1. Inq. 1. Quid sit simonia? R. Est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vel vendendi rem sacram, seu spirituales, vel spirituali annexam pro temporali. Ponitur sacrilegium loco generis, in quo convenit cum perjurio, fractione voti, & aliis sacrilegiis: omnis enim indigna tractatio rerum sacrarum opponitur virtuti religionis, & ad sacrilegium reducit. Additur consistens in studiosa voluntate: per hæc deliberata, & libera voluntas declaratur, & simul subjectum hujus vitii, quod est voluntas: ubi vitia omnia contra religionem recipiuntur, sicut in intellectu illa, quæ fidel directe contrariantur. Emendi, vel vendendi: quibus verbis omnis contractus non gratuitus intelligitur, sed onerosus, ut emptio, venditio, locatio, permutatio, aut transactio.

2. Additur rem sacram, seu spirituales, vel spirituali annexam: per quod ea omnia

Curia, assassinatus, & alia delicta, quæ videri possunt in laudato cursu Salmanticensi Tract. 28. ubi etiam explicantur alii quatuor modi, quibus beneficia extinguuntur, seu alterantur, suppressione, dismembratione, divisione, & erectione Ecclesiæ. Nos enim, brevitati consulentes, solum ea, quæ pro communi conscientiarum regimine sufficiunt, promisimus.

intelliguntur, quæ a Deo auctore supernaturali proficiuntur, aut ad Deum salutis æternæ auctorem ordinantur. Hæc autem sacra, seu spiritualia sunt in triplici differentia. Alia secundum suam substantiam sunt spiritualia, ut gratia, virtutes infusæ, dona Spiritus sancti, & similia. Alia sunt supernaturalia, seu spiritualia active, seu causaliter, quia licet in se, & secundum substantiam corporalia sint, efficiunt tamen aliquid supernaturale, vel spirituale: ut sacramenta, quæ sunt causativa gratiæ, & aliorum donorum, quæ ad illam consequuntur: ad quæ reducuntur sacramentalia: ut aqua benedicta, catechismus, & alia hujusmodi. Alia sunt spiritualia effectualiter, id est per modum effectus, quia per se sunt ex spiritualibus causata, utpote ex potestate spirituali procedentia, vel operationes ad eam ordinate: ut dispensare in voto, matrimonio, absolvere a censuris: vel pœnis, & alii quicumque actus jurisdictionis spiritualis, sanitas per gratiam miraculorum producta, preces fundere, cantare in choro, mortuos sepelire, & similia.

3. Item alia sunt spiritualibus annexa antecedenter, ut beneficia omnia ecclesiastica, quæ ordinem clericalem supponunt: alia consequenter, quia rem spirituales consequuntur, & in temporali fundantur, ut vestes sacre, vasa sacra, candelæ benedictæ, templa, aut jus patronatus præsentandi ad beneficia. Hæc omnia nomine rei spiritualis, vel spirituali annexæ in hac definitione intelliguntur. Denique additur pro temporali, quod est pretium oblatum in contractu. Hoc autem potest esse manus a manu,

Cap. I. De essentia, & divisione simoniæ.

a manu, munus a lingua, vel munus ab obsequio, ut mox dicemus: in hoc enim tota malitia simoniæ consistit, quod res spiritualis deprimitur, & abjicitur, cum rebus vilibus temporalibus æquiparatur, emitur, conducitur, aut locatur. Unde simonia dicitur a Simone mago, qui gratiam faciendi miracula pecunia emere voluit.

4. Inq. 2. An detur parvitas materiae in simonia? R. neg. Nam vel parvitas materiæ se tenet ex parte pretii, & tunc, quo minor est quantitas pretii, tanto gravior dignitas rei spiritualis contemnitur; aut se tenet ex parte rei spiritualis, & hæc, quantumvis in se parva sit, dum venalis fit, gravem patitur injuriam. Quod tenet non solum in simonia contra jus divinum, sed etiam in simonia contra jus ecclesiasticum. Unde tantum ex inadvertentia, vel ex imperfecta deliberatione potest dari parvitas materiæ in simonia.

5. Inq. 3. Qui possunt contrahere simoniæ crimen? R. Quod, si simonia sit de jure divino, aut naturali, omnes homines possunt illam committere, etiam summus Pontifex, ut si rem sacram venderet: quia ipse jure divino, sicuti alii, tenetur. Quæ ratione dixit D. Thomas 2. 2. q. 100, art. 1. ad 7. quod Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo... Quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus, ut principalis dispensatoris: non tamen sunt ejus, ut domini, & possessoris. Si vero simonia fuerit de jure ecclesiastico, licet cæteri illam incurrere valeant, non tamen Pontifex, quia talia jura conditionate procedunt, nisi Papa dispenset. Quapropter nec incurreret pœnas jure ecclesiastico taxatas, qui cum Papa simoniace contraheret; quia tunc cum illo dispensare censetur.

PUNCTUM II.

Divisio simoniæ.

6. Inq. 1. Quotuplex sit simonia? R. Est multiplex. Primo enim dividitur in simoniam contra jus divinum, seu naturale, & in simoniam contra jus ecclesiasticum. Prima est, quæ prohibetur jure divino, aut naturali, & quæ solet dici prohibita, quia mala: hæc committitur, quoties res, quæ ex se spirituales sunt, aut spirituali-

bus annexæ emuntur, vel venduntur. Simonia contra jus ecclesiasticum est, quæ prohibetur a jure ecclesiastico, & ideo dicitur mala, quia prohibita: ut est permutatio, vel resignatio beneficiorum. Insuper emptio, vel venditio aliquorum officiorum temporalium Ecclesiæ: ut economi, Sacristæ, aut procuratoris, quæ ab Ecclesia ut simoniace prohibentur in cap. Salvator 1. quæst. 3.

7. Secundo dividitur simonia in mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem. Mentalis est, quæ intra mentem sistit, omni pacto, & conventionem exteriore sublata. Hæc simonia dupliciter contingere potest. 1. Quando quis intra se deliberat simoniam committere. 2. Quando exterius aliquid munus offert prava intentione accipiendi, tamquam pretium, aliquid spirituale, quin extrinsecus nec explicite, nec implicite indicet se munera ista præstare, ut pretium rei spiritualis. Conventionalis, quæ oritur ex mentali, est conventio externa, expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali, sed ex neutra parte executioni mandat, vel tantum ex una. Realis est, quæ ex mentali, & conventionali oritur, & addit traditionem realem. Hæc autem potest esse vel completa, vel incompleta. Est completa, cum adest traditio ex parte utriusque, vel saltem rei spiritualis. Est incompleta, cum adest traditio pretii temporalis, non vero rei spiritualis.

8. Confidentialis est, cum quis beneficium ecclesiasticum procurat, eligendo, præsentando, & resignando, aut alia via cum confidentia, seu pacto expreso, vel tacito, ut si ille, cui procuratur, resignet vel procuranti, vel alteri, aut ut pensionem, vel fructus ex eo reddat, quod multipliciter fieri potest, ut infra dicitur. Potest etiam dari simonia per procuratorem cum mandato, vel sine mandato. Si fiat cum mandato, acceptio beneficii est nulla, & accipiens incurrit pœnas simoniaci. Si fiat sine mandato, vel fit ab amico, vel inimico accipientis. In primo casu acceptio beneficii est nulla, sed pœnas non incurrit accipiens ignorans facti; in secundo valida est acceptio beneficii, & idem est, si contradicatur pactum simoniacum ab amico procuratum.

9. Inq. 2.